

traverant, ceperunt et victos¹ in consistorio civitatis duxerunt. Imperatorem vero Romanum in patibulo extensum auro in vase ferri accenso ipsum suffocaverunt, dicentes: 'Aurum scitisti², aurum bibe, et cum auro suffocaberis'. Romani quidem, qui in illa aderant³ obsidione, audientes hec ingenti dolore et timore sunt perteriti. Interea Nichodemus amiragius timens, ne Romani ad suas deberent accedere partes, cum innumerabili multitudine virorum bellicorum in subsidium Nectabi proficisci properabat. Audientes Romani de Nichodemi adventu ab obsidione statim secesserunt, et fugientes per nemora, paludes, loca arida, per montes, planities et silvas diffusi, ubi caput deponere deberent, penitus ignorabant. Nectabus autem de civitate exiens innumerabilem multitudinem equitum, virorum bellicorum coadunavit, et eo cum⁴ expeditione Nichodemi coadunato, Romanos persequi statuerunt, illos omnes quos invenerunt⁵ ceperunt et vinctos in carcere posuerunt, preter illos qui in nemoribus, silvis et speluncis et in locis tenebrosis se absconderunt. Quibus ita factis, Nichodemus et Nectabus ingenti gloria et superbia elati Romanum eundem⁶ imperium, Romanam quidem urbem capere⁷ et ipsam penitus destruere proposuerunt.

*f. 28^a. *Et dum hec agerentur, Ponpeius, qui Rome urbem custodiebat, et alii viri nobiles eiusdem urbis intelligentes que in Parthia et Emathia acciderant, nimio dolore et tristitia comoti pariter et turbati, superbiam quidem et perfidiam Nectabi et Nichodemi timentes, cognoscentes urbem Rome viris prudentibus et bellicosus carere⁸, statim legatos ad Iulium Cesarem iussu senatus miserunt, iniungentes ex parte senatus et precipientes et que in Parthia et Emathia acciderant significantes, ut omni mora et occasione remota et omnibus dimissis ad Romanam urbem cum omni gente sua redire deberent, si vero hec facere recusaverunt, notificantes ei iussu senatus interdictum et in bannum positum fore, et quod de cetero⁹ concivis Rome habebitur¹⁰ nec esse potuerit¹¹. Hiis ita auditis et intellectis sic est locutus: 'Non est alicuius viri prudentis que incipit propter minas derelinquere, sed magis ac magis ad finem perducere; non¹² urbem Romam erimus visuri, nisi primo que proposuimus ad exitum perduxerimus'. Stetit namque Iulius Cesar in Gallia Transalpina per duo luxtra, quibus peractis universam Galliam subiugavit et ipsam omnino tribu-

1) So die Hs. oft für 'vinctos'. 2) 'scitisti' Hs. 3) 'aderat' Hs.
 4) 'et eum in' Hs. 5) 'inueniunt' Hs. 6) So Hs. 7) 'carpe' Hs.
 8) 'i carcere ee' Hs. 9) 'q. dicitvi (dicituri)' Hs. 10) Die Weglassung der ersten Negation vor 'nec' ist bei Codagnellus ganz gewöhnlich.
 11) 'potuerunt' Hs. 12) 'ad' Hs. Man könnte auch emendieren 'ad u. R. er. non ituri', aber die eingesetzte Correctur ist vorzuziehen, weil es unten f. 30^c heisst: 'Romanam urbem nullo modo esse visuram'.